sitent, Chartas, Aleas et alios lusus prohibitos et inhonestos non exerceant, aliàs si quis Servitorum talis inventus fuerit, per Dominum proprium, vel etiam per Clarissimum Præpositum Domûs, ne alios corrumpat, corripiatur. Sæpè enim malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia (quales sunt Juvenes) proni inveniuntur. can. Sæpe. 28. q. 1. Verùm si in corrigendo Servitore Dominus fuerit remissior, Clarissimus Præpositus, ut præmissum est ex Officio suo, quod illi more aliorum Collegiorum competit, in eum animadvertet, nec hujusmodi animadversionem (modò non fiat dolosa) Dominus vitio vertet, vel pro injuria reputabit. Qui enim jure suo utitur, nemini injuriam facere videtur. c. Cum Ecclesia. de Elect. et l. Injuriarum §. 1. ff. de Injuriis. Delicta utiq non debent manere impunita. l. Si ita vulneratus. §. 2. circa med. ff. Ad l. Aquil. Nec malitiis hominum est indulgendum. l. In fundo alieno. §. penult. ff. de Rei vendic.

STATUTUM XXXV.

De Custodia Ignis.

Quanta damna negligens custodia ignis inferre soleat, nuper in Domo Nostra hac pœnitus præter parietes muratos cum Bibliotheca et pretiosa tam communi, quàm Professorum particulari supellectili ex occasione PP. Societatis Jesu, igne consumpta experti sumus. Statuimus igitur et districtè præcipimus, ut non solùm communis familia, sed etiam ipsi Clarissimi Professores ac Servitores eorum, ignem exactissimâ diligentiâ custodiant, eundem semper in laterna, præcipuè ibi, ubi materia ustioni apta reperiatur, deportent, candelam parieti ligneo non applicent. Quodsi secus fecerint, vel aliquis eorum fecerit, per Præpositum moneatur, ac tandem pro arbitrio

puniatur. Ignem enim negligenter servantes manere non debent impuniti. l. Nam salutem. §. 1. ff. de Offic. Præfect. Vigil.

STATUTUM XXXVI.

De Librorum ex Bibliotheca acceptione et Bibliothecarii electione.

Quoniam naturaliter quilibet scire desideret. l. Apud Julianum ff. de Fidei Commissar. libert. vel à peritis, vel à mutis Magistris libris, qui ad scientiam acquirendam. jux. c. Exiit. §. In alio quoq. de Verb. Significat. in 6. simpliciter sunt necessarii, discere, illosq. quoties opus est et necessitas exigit, consulere debet. Quod ut facilius fiat, statuimus, quatenus unicuiq. Professori, hic in Collegio manenti facilis sit ad dictos mutos Magistros Libros in Bibliotheca Collegii existentes accessus, ita tamen, ut eosdem extra sine consensu Bibliothecarii, per Communitatem quolibet Anno eligendi vel reeligendi ac subscriptione sui in Libro ad id comparato, seu aliàs submissione de restituendis acceptis danda, multò magis extra Collegium efferre sub pœnis arbitrariis non audeat, sed iisdem domi et absq. deterioratione eorum eousq. utatur, quousq. materiæ sibi necessariæ arcana non penetraverit. Scholasticis enim nihil debet esse absconditum in ea arte, cui student. In Proœm. ff. §. Discipuli.

STATUTUM XXXVII.

De Judiciis exercendis.

Quia parum est condere jura, nisi sint qui ea tueantur, ac debitæ executioni demandent. c. Ubi periculum. §. Præterea. de Elect. in 6. c. un. §. Et quoniam. de Stat. Regular. in 6. et l. 2.